Folio.

Doctissime et Amplissime Vir (166)

Rogavit me vir eruditus in his regionibus, qui nescio quid Mathematici meditatur et luci publicæ destinat, ut a Legato Hagâ sciscitarer exactam Latitudinem Byzantii seu Peræ; quam qui ad: gr: 43. 18' 45" elevant, arbitratur ille quam proxime a vero abesse. Ejus rei nuntius dum ingenti viæ spatio non properè advenitat, rogo te, Amice, ut expectationi scriptoris non spernendi, quem aliàs indicabo, promptior succurras, et quid hujus vel memoriâ vel in commentarium retuleris, significare quam maturè possis, ne graveris, cujus tam viri amicitiam stetisse nunquam erit, quod doleas. Valé in Castris ad Trajectum 12. Cal: Novemb: CIƆIƆCXXXII

Quousque D. Descartes opusculum processerit valde scire aveo, et ut perpetuam insigni viro a me salutem nuntiês, obnixè rogo. literarum si quas ad me dare volueris, penes uxorem cura erit.

Rectori Societ: Jesu N: Boddens.

Reverende Domine. (167)

Videor sic demonstrare adversus veterem Poetam, meam de quâ nuper nobis non dispar sermo fuit, non universè fidem deesse viris, qui castra sequuntur. Probo autem, quod patet latius, insquè fidem iis non servari, quos ut idem faciant, diversæ fidei obstinatio nusquam inducit. Expecto ut in vicem acerrimos quosdam (ὅσδει ἐπισομίζειν) de collegis ~~tuis~~ tuis doceas, quam propè distent, et quam non propè Zelus, et scelus. et quam salvâ utriusque conscientiâ, si sapiant, redire res huc possit, quod olim fratres et amici populi Romani qualis nunc est, Batavi habeamur; qui victores etiam non simulatè κατ' ~~[illegible]~~ εἰρήνης διώκομεν. Vale vir doctissime et me ama, qui vos hâc lege, quod discedens monui, ne vobis infesti sitis, et Καίσαρι τὰ Καίσαρος dare si statuistis, etiam relinquatis. In Castris ad Ruremundam pago Herckenbosch VII. Id: Novemb: CIƆIƆCXXXII.

Tuus quâ lege dixi
C. H:

Puteano